



Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. VII. Ad c. Cum sit. 14. & c. ult. de aet. & qual.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

Ecloga VII.

gulari vitâ degentes, hos nego inter laicos secularium officiorum stu-
dia, nego inter clericos religio tenet divina. Similis locus est, quem
allegat ex concilio Parisiensi Gratianus in can. Nulla. dist. XCIII.
Talis Acephalus erat Osmond, cuius meminit Adamus Bremen- Osmond.
sis lib. 3. c. 15. Sed hæc veteris Ecclesiæ mos in tantum mutavit, ut
ex capitulo isthoc Innocentii III. ordinatio sine titulo non sit nul-
la, teneatur tamen ordinans ordinato providere, id est, alimenta
præstare, donec ei beneficium Ecclesiasticum conferat c. 13. h. cap.
Episcopus c. cum secundum. Infra de præbend.

C A P. VII.

Ad c. Cum sit. 14. &c. ult. de æt. & qual.

S U M M A R I A.

- | | |
|---|---|
| 1. Ordinandi à Presbyteris infor-
mabantur, vel in monasteriis
educabantur. | 3. An hæc decretalis ad Capitu-
lum Bremense rescripta. |
| 2. Ordinandis codex divinor. of-
ficiorum tradebatur. | 4. Episcopus Calliensis.
5. Rescripta est ad Capitulum Me-
diolanense.
6. Summa decretalis istius. |

Caput XIV. revocat pristinum Ecclesiæ institutum. Olim
mos erat, ut ordinandi Presbyteris informandi in Eccle-
siasticâ disciplinâ subjicerentur. Vide Concil. Vasense.
Vel etiam ut in monasterio educarentur. can. Priscis. dist.
55. Et cum Presbyteri ordinabantur, solebat eis tradi libellus offi- Ordinandis
cialis, seu codex divinorum officiorum, quæ Agenda, Kirchen A- agenda tra-
gende, vocamus, ne rerum sacrarum imperiti ad Ecclesiæ promoto- debantur.
verentur. Concil. Toletan. IV. unde sumti sunt can. XXV. & can. quan-
do. 2. dist. XXXVIII.

Cap. ult. h. t. est Honorii III. ad Capitulum Bremense, ut ha- Decretalis
bent exemplaria vulgata. MSCtæ bibliothecæ Salanæ membra- ad quos re-
næ vel; Capitulo Brieni. Vel; Capitulo Benev. Vel; Capitulo Bre- scripta.
mon. Reliqua, & quæ Cironius vidit, nullam habent epigraphen:
Unum; Archiepiscopo Mediolanensi: Capitulum Bremense lo-
cum hic obtinere nequit, quia agitur in istoc capitulo de Episcopo

B 2

Cal-

Calliensi. Ita enim legendum est, non Calinensi, qui nusquam terrarum est. - At quid Calliensi Episcopo cum Capitulo Bremensi? Illius enim diœcesis in Marchia Anconitana vertitur, id est, Piceno annonario. At hæc provincia in diœcesi Vicarii Italæ est, qui Mediolani morabatur. Quare assentior Cironii libro, de Mediolanensi, non quidem Archiepiscopo, sed Capitulo, summa autem Capituli est de Calliensi Episcopo, qui quod nunquam didicisset Grammaticam, nec legisset opus Ælia, atque adeo omnino rudis esset, ideo jubetur ab Episcopatu removeri.

Summa capitulo.

CAP. VIII. Ad cap. sing. x. de sacrâ unctione.

S U M M A R I A.

1. *Vera lectio capituli.*
2. *Scriptum est ad Archiepiscopum Trinonitanum.*
3. *Error Gregorianorum.*
4. *Species capituli hujus formatur.*
5. *Blandiruberensis Episcopus.*
6. *De unctionibus variis generis.*
7. *Unctio baptismi, ritus antiquus.*
8. *Cur in Ecclesiis reformatis abolitus.*
9. *Ceremonia hæc in concilio Laudiceno introducta.*
10. *Oleum sanctum triplex.*
11. *Oleum Catechumenorum.*
12. *Oleum infirmorum.*
13. *De consecratione oleorum, remissive.*
14. *Formula confirmandi.*
15. *Effectus. Imprimitur chamerinde indelebilis.*
16. *Unctio, sacramentum, Regum non item.*
17. *Baculus Pastoralis, sceptrum, pedum, ferula, cambuca.*
18. *Baculus in degradatione frangitur. Exempla.*
19. *Pontifex non uititur baculo, cum propter historiam, tum rationem mysticam.*
20. *Qualis hæc historia.*
21. *Mystica ratio.*

Vera lectio.

Constituenda nobis ante omnia est lectio. In libris vulgaribus vel deest omnino inscriptio, vel Innocentium præfert, sed absque mentione ejus, ad quem rescribitur: Ex gestis ergo Innocentii supplendum. Ex quibus constat, scri-